



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator  
communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

Dectretum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

chiepiscopus Jacobus Boonen, cujus Decretum hîc nolim omittere; est ergò quod sequitur.

## D E C R E T U M

Illust<sup>mi</sup> Domini Archiepiscopi Mechliniensis.

„ **I** A C O B U S Dei & Apostolicæ Sedis  
 „ gratiâ Archiepiscopus Mechlinien-  
 „ sis, omnibus animarum curam haben-  
 „ tibus, confessoriis & verbi divini præ-  
 „ dicatoribus in nostra diœcesi, salutem  
 „ in Domino. Cum in Sancta Catholica  
 „ Ecclesia nihil excellentiùs habeatur  
 „ ipsis sanctissimis Sacramentis, è quibus  
 „ uti largissimis fontibus Salvatoris no-  
 „ stri Dei in animas fidelium vel indefi-  
 „ nenter profluit prima gratia quâ justifi-  
 „ camur, vel ea jam accepta augetur, vel  
 „ deperdita restituitur, nihil magis cordi  
 „ esse debet iis, quos Spiritus Sanctus po-  
 „ suit Episcopos regere Ecclesiam Dei,  
 „ quàm ut ea non solùm ritè & absque  
 „ ullo invaliditatis periculo, sed insuper  
 „ plenissimo semper affectu ovibus suis  
 „ administrentur.

„ Quare cum ex omnium Theologo-  
 „ rum sententia in eorundem Sacramen-  
 „ torum



forum administratione adhiberi semper debeant materiæ & formæ certæ, determinatæ, ac quantum fieri potest securissimæ. Nullo autem modo (extra necessitatem) dubiæ vel controversæ: intelligamus verò inter Catholicos Doctores adhuc disputari, an inter actus pœnitentis, quos sacrum Concilium Tridentinum definit esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, sufficiens censeretur illa contritio imperfecta seu attritio, quâ tantum propter pœnas peccata detestamur, pluribus quidem à Concilio Tridentino id affirmantibus, aliis nihilominus, etiam ab eodem Concilio, id negantibus: ne in ista sententiarum diversitate salus pœnitentium periculo exponatur.

Vobis & unicuique vestrum, qui ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem estis admissi & approbati, mandamus, quatenus omnem vestram industriam eò conferatis, ut omnes ad dicti Sacramenti perceptionem accedentes, inducatis, moveatis & disponatis ad veram & cordialem detestationem ac dolorem suorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quàm ex Dei amore, quo ipsum velut sum-

3, mum



„mum bonum ( quod maximâ impietâ  
„te peccando contempserunt ) perfectè  
„diligant , vel saltem ut fontem justitiæ,  
„quâ scilicet justificamur , diligere inci-  
„pian : si enim populus ille rudis sub  
„veteri lege , qui acceperat tantum spiri-  
„tum servitutis in timore , in tanta gra-  
„tiæ penuria non poterat justificari nisi  
„per veram & perfectam contritionem,  
„neque salvari nisi per dilectionem Dei  
„super omnia ; meritissimè nos filii novi  
„Testamenti , qui non accepimus ite-  
„rum spiritum servitutis in timore , sed  
„spiritum adoptionis quo filii Dei nomi-  
„namur & sumus , in tanta gratiæ ple-  
„nitudine quam effudit in nos per Spiri-  
„tum Sanctum qui datus est nobis , non  
„tanquam servi timore pœnarum , sed  
„tanquam filii ex amore ejus qui dilexit  
„nos & lavit nos à peccatis in sangui-  
„ne suo , ipsa peccata super omnia mala  
„detestari debemus. Ut verò populus  
„Christianus in re tanti momenti magis  
„instruatur , vobis verbi Dei Prædicato-  
„ribus injungimus , quatenus sæpius oc-  
„casionem captetis tractandi de natura,  
„motivis & effectibus contritionis , ut  
„& de amore Dei super omnia ( sine  
„quo vera contritio haberi non potest )

„ ut



ut duobus hisce necessariis mediis in-  
 structus, quavis occasione, & quovis  
 tempore auxiliante Domino remissio-  
 nem peccatorum & salutem animarum  
 suarum consequi possit. Datum Bru-  
 xellæ die vigesima sexta Martii anno  
 Domini millesimo sexcentesimo tri-  
 gesimo septimo.

Decretum istud alio suo Decreto in-  
 seruit ac denuo servandum proposuit  
 Amplissimus Dominus Amathus Coria-  
 che ejusdem Sedis Archiepiscopalis ibi-  
 dem vacantis Vicarius Generalis, Anno  
 Domini millesimo sexcentesimo sexage-  
 simo septimo, die vigesima octava Apri-  
 lis, & iterum anno seq. die 23. Julii.

C A P U T X V I I .

*Utrum Confessarius interrogare possit de consue-  
 tudine, & an hic teneatur respondere.*

**N**Egat Appendix num. 276. di-  
 citquè in eo confessarium limi-  
 tes fori sui & tribunalis excede-  
 re: imo inquirenti confessario, ait num.  
 127. Responsionis brevis, poenitens non  
 tenetur ad hoc respondere. Negaverat  
 id ipsam jam prius Joannes Sancius, ad-  
 dens